GEMMÆ HEROUM,

Post ornatum Domesticum *Annulum*, magis Orbem;

CORONAM ÆTERNITATIS

IMPLENTES:

Illustr: Domûs RUDNICCIANÆ Decora,

Magni Majores.

Post recens fatum

NEPOTIS MAXIMI,

ILLUSTRIS MAGNIFICI DOMINI

D. JOSEPHI ANTONII

RUDNICKI,

VEXILLIFERI Bidgostiẽsis, CAPITANEI Bolemoviensis, NOTARII Quartæ & Hibernorum Thesauri Regni,

Ceu post Boni *amissionem* Ingentis,

A Posteris serò, ab Orbe semper, ab Omnibus summè

ÆSTIMATÆ.

In caris Pignoribus, tantiq; Hæredibus Pretij,

ILLUSTRIBUS MAGNIFICIS DOMINIS,

D. DOMINICO,

&

D. JOSEPHO,

RUDNICCIIS,

Vexilliferidis Bidgostiensibus, &c. &c.

A Grato, candidoq; Æstimatore Tantorum Nominum,

Luci Publicæ

EXPOSITÆ

Anno *Unionis Hypostaticæ* 1728.

VARSAVIÆ

Typis S.R.M. & Reipublicæ, in Coll: Scholarum Piarum.

In Avitum
DOMUS INCLYTISSIMÆ
DECUS.



Accipiter *tenuem quid præfers* Annulum *in Ore?*
Et Soleæ *volucri quid pede Schema geris?*
Forsitan heroi meditaris Olympia cursûs?
Offers certamen nobile laudis adhuc?
Metam RUDNICII *tot jam tetigêre supremam,*
Iamq; Coronati, quotquot Olympus habet.
Accipiter, *modicâ pro* Sphæra, *prênde Coronam;*
Pro Solea, *Solium majus in Orbe preme.*

RATIONALE ARCHIPRÆSULEUM,

Rationale quoq; Iudicii facies opere Polymito, Quadrangulum erit, & duplex, ponesq; in illo quatuor Ordines Lapidum.

Exodi 28. v. 15.

ORDO LAPIDUM, in Rationali Summi Pontificis, Olim jussu DEI dispositus.

In Primo Ordine.
SARDIUS, TOPAZIUS, SMARAGDUS,
In Secundo.
CARBUNCULUS, SAPHYRUS, & JASPIS,
In Tertio.
LIGURIUS, ACHATES, AMETHYSTUS,
In Quarto.
CHRYSOLYTHUS, ONYCHINUS, & BERYLLUS,
Inclusi auro erant per Ordines suos.

Ibid.

In ijsdem lapidibus quomodo insculpta erant nomina Filiorum Israel habetur. *Ibid.*

Quid principaliter debeat collocari in Rationali? sic ibidem ordinatione Divina disponitur: Pones autem in Rationali Judicij doctrinā & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando egredietur coram Domino. *Ibid.*

A PRI-

I. LAPIS SARDIVS.

Symbolum veræ doctrinæ, & Sapientiæ;
Principibus apprimè necessariæ,
colore sanguineo, & igneo, quo feris terrorem incutit.

IMperatores, Reges Principes,
intelligite quod enunciat Divinior Tripos:
Erudimini, qui judicatis terram.
Irrupêre in orbem tot malorum monstra, tot scelerum facies,
quia erupit Sapientia.
suum nempe Jovem periit,
Novam Gigantomachiam excitari videns in terra.
Platonem voto suo frustrari indolens:
Cùm nec Philosophi sint Reges, nec Reges philosophentur,
suæ virtuti locum non nisi in cælo reperit.
At ô Diva redi! redi Regina redi!
revertere Sunamitis, ut intueamur te.
Orbis virtutibus orbus est,
veræ sapientiæ exsors & impos.
Siccine erudito ævo copia mundum inopem fecit?
inter tot apertas Athenas, rari Cecropes, rariores Solones;
dum apparent disparent;
prostant ubiq; & non sunt.
Cùm multi tam docti prodière, pauci sunt boni.
nullo non die sudant præla, fervent operæ.
Certantes calamis Antagonistæ, calamitatem ingeniis adstruunt;
& tamen non est tam probus Socrates;
quem oraculum sapientissimum edixerit.
Multi cum Archimede,
se, & Patriâ neglectis, cursum cæli considerant
Arenas numerant, dum Aras, & templa hostis spoliat.
Plures cum Stagyrita,

dum

dum Eurippi reciprocos fluxus non capiunt;
illius Mæandris capiuntur.
Ita magnis ingeniis sæpè inest mixtura dementiæ.
Plurimi Epicuri de grege porci,
Cupedias suas, & cœnum, cælo, & bono publico præferunt;
parati cum Hortensio,
pro uno turbato cincinno, non una Trieteride,
jus urgere, vel bella movere.
Tales scilicet Sapientiæ Antistites;
non SARDIOS pretiosos, sed Sardos venales in pectore deferunt.
O Labem seculi suâ sapientiâ desipientis!
Sub cortinis sinceræ antiquitatis,
tacete jam Licurgi, Trismegisti, Archidami;
Scientiarum Principis Politicæ, jam abrogatum nomen.
Hæc divinior Civitatum gubernatrix,
hodie in versutiam transformata.
Ex asse Politicum dixeris,
cui lex exlex, jus injuria, fides vivere sine fide:
Scientia, sine conscientia, constantia in inconstantia.
Reproductos non in fabulis Vertumnos,
omnes in formas versatiles;
nullus Poëtarum graphicè descripserit.
Rudiores jam Tiberii artes,
& Machiavellus, vix discipuli nomen meretur;
apud palmares novæ politiæ Magistros,
Vt quid sacras Decalogi tabulas,
ingeminas populis Sancte Legifer?
servabit illas Arca, non Politici.
Alia (inquiunt) sunt præcepta DEI,
aliæ maximæ Politicorum,
novum idolum, Ratio status est;
novas leges mundo præscripsit.
Siccine est alter hodiernorum Manichæorum Deus?
qui jubeat pejerare, sacra profanare,
ex rapto vivere, innocentes opprimere, orbem populari?
Divini Utriusq; Legis Codices,

 diris

depin
celi

diris devovent, & plusquàm Rhamnusiam Nemesin minitantur;
illis, qui sodes fiunt contemptoribus Ecclesiæ Mezentiis.
Hodie talibus associari, recuperandæ felicitatis omen est.
Talibus arcas, & arcana Regni patefieri,
Religionem, & regionem, cum libertate tuendam committi;
securum ex omni parte asylum est.
Papæ egregios Politiæ præceptores, an deceptores?
volentes, nolentesq; perfectionem Evangelicam adimplent:
Diligunt inimicos suos,
Benefaciunt eis, qui oderunt eos.
Regula sanctioris Themidos est;
Res semel cultui divino dicata,
ampliùs profanis usibus famulari nequit.
At hodie è voto Politicorum,
Patrimonium Christi, pauperum esca,
Primus est scopus profanissimis manibus, & præda furentûm.
Iterum Iscariotæ in membris suis capiunt Christum,
Iterùm milites plectunt illi spineam coronam:
Iterum eum cruci affigunt;
Iterum exsangue jam corpus lancinant,
& ultimas sanguinis guttas emungunt.
Hæc scilicet pietas Politicorum est, impiè agere;
hæc humanitas, nec DEO parcere:
ô Actiones Reipublicæ salutares,
& Jovis dipthera dignas!
Prima Civitatis felicitas est,
Si populus sub una lege vivens,
ad salutem dirigatur æternam.
Hodiernæ politiæ oraculum est,
Nihil interesse, fidem quamcunq; amplectatur;
Modò sit felicitas Reipublicæ temporalis.
Potentia, victoriæ, Provinciæ, opes, Leonina divisione partæ,
hæc publicæ faustitatis illicia, & indicia sunt.
Demum cum Iuliano Apostata,
omnia omnibus fieri Politicum necesse est.
cum Gentilibus gentilizandum;
cum Christianis, Christianizandum:
in du-

in duabus ſellis ſedendum.
ô quàm luxuriant ingeniis, boni novantes!
DEUM, & naturam novis legibus corrigunt.
Ad tantas ſeculi abuſiones,
quàm altùm ingemiſcit Tua Cœleſtis Sapientia:
ô PRINCEPS!
Et certè in edomandis iſtis Monſtris;
pluſquam Herculeus Tibi labor eſt:
Nempe difficile eſt cum nimia eſſe incipit,
emendare morum corruptelam.
Tu tamen ſtupendâ ſapientiâ, & patientiâ,
penè collapſam integritatem inſtauras.
Non gravi ſupercilio Catonis;
ſed ſuaviſſimo Tullij zelo, Catilinas, Cethegosq; coërcens;
Pater Patriæ audis.
in GERLACO à SZEMBEK,
hanc olim virtutem admiratus;
translati in occidentem Romani Imperii auſpex,
Sapientiæ, & fortitudinis Phœnix:
CAROLVS MAGNVS,
multis Provinciis, & Regnis ſalutarem fore autumavit,
Polonia, in Tuis Inachis, Teq; Ipſo experitur.
Longo ſeculorum tractu, & ſumma temporum varietate,
traducem cum ſanguine veram ſapientiam,
hactenus boni Superi ſartam, tectamq; ſervârunt:
in exemplum Principum, tutelam populi, Salutem Patriæ.
Sub Suis ROSIS æternùm vernantibus,
relinque calame priſcos SZEMBECIORVM. Aborigenes:
ſeculorum vaſti, Illos conſignant Faſti.
Tu quoq; olim tenuis, tentando grandia,
Synopticè hoc officii vectigal perſolviſti.
Divini tamen Conſilii arcanum mirare;
Primum Poloniæ Principem,
ex Patre Caſtellano Camenecenſi;

ex Matre ZOPHIA ODROWAZIA nasci,
STANISLAI Nomine insigniri,
Pretiosus, quia pretio Sanguinis Lechici emptus;
Cameneci Lapis:
Jam Primatem nostrum, Lapidem Angularem;
jam SARDIUM signabat.
Porro ex SOPHIA, Minerva Sarmatica,
quid prodire debuerat?
Nisi Sapientiæ Symbolon.
Sanctorum hæc Familia, Nazaræos parit.
Post HYACYNTHUM & CESLAUM duos Soles,
tertiamq; Phæben sororem:
Cognatæ Sanctitatis, & Sapientiæ:
edidit STANISLAUM.
Verè lætitia Matris Filius sapiens:
STANISLAI omen, nomen, & mores bajulat.
Sapientia rerum divinarum, humanarumq; cognitio;
in humili non serpit.
Per causas altissimas procedit.
Attollere, evola calame,
Si attingere valueris Sapientiæ Principalis altitudinem.
Universitas Jagellonica,
adhuc in tenelli Iuli nostri ætate æstatem;
autumnum in vere, senium in moribus, & sapientia mirabatur.
Spiritus illius Principalis,
nunquam telluri inhæsit.
Humana ut fluxa contempsit;
Divina vasto anhelitu exambivit.
Laurentiis oris invectus,
Non Montes, non Maria, non Vrbes lustravit.
Sed congressus Sapientum.
Nihil ipsi suavius,
quàm Canonica & Theologica;
cordi inviscerare oracula.
Ingessêre se ultrò erudito Capiti

Sacræ

Sacræ Laureæ;
ut cum ROSIS jucundius ſuaviarentur.
Mores Gentium ita cognovit;
ut niſi Sanctos, & Reipublicæ ſalutares
ſecum in Patriam referret;
SVIS exoticos ædificaret.
Super Canonicæ, & Theologicæ veritatis baſibus,
grandem columnam Chriſtianæ Politiæ poſuit.
Imo Ipſe; ex Lapide SARDIO,
firmiſſima Columna.
Fervidam ejus doctrinam in ſacris exedris,
ſensêre ſcelerum feræ.
Color Verbo DEI igneus,
Ignitum ſcilicet eloquium, ejus vehementer,
Ut SARDII virtutes præſeferret.
Hinc ut gemma Princeps; Coronis Craciis inſerta,
acutiùs illuxit Regni areopagis.
Iuſtitiam, quâ Ariſtidem ſuperavit;
aliis ſine reſpectu, & Dorica Mûſa adminiſtravit.
Et quia hoc quoq; ad Legalem ſapientiam pertinet;
Vt gradatim ad honores aſcendatur: *
non fungorum, & cucurbitarum more crevit.
Lapis Eccleſiæ, & Regni ut fieret Angularis;
minoribus functionibus aptabatur:
Suffraganei, & Officialis Generalis Cracovienſis,
graviſſimum onus, Virum probavit quadratum.
Claræ Tumbæ Abbas factus,
Clariorem, & penè vitalem reddidit.
Tandem ægrè Ipſum dimittentibus Orphanis, & pupillis,
VLADISLAVIENSIS Cathedræ Culmini admotus;
Perſonali viſitatione Diœceſis, reformatione Cleri;
SARDIVM gemmam ſe ritè exhibuit.
Hoc demum gemmeo Lapillo notet Polonia:
Inter Paſtoritias curas;
quæ omnes artes ſuperant:

* *l. 11. pr: ff. de Muneri & honor.*

Eum Reipublicæ ſemper integrum fuiſſe.
Porro hoc in paſſu beatum dixeris;
quia non abijt in Conſilio impiorum.
Cœleſtis Politiæ cultor,
nec prece, nec pretio, nec minis, à ſaniori ſenſu;
unquam dimoveri potuit.
Vita, mores, conſilia, Divinis principiis conformia,
In tanto rerum turbine;
Miraculum, & oraculum utriuſq; ſapientiæ,
& verè STANISLAUM contra tot Boleslaos eum monſtravère.
Macte animo Primas Primeq; Princeps!
in hac ſuperna ordinatione
nemo TIBI palmam præripit.
Hoſtes ipſi virtuti pæana occinunt;
quia poſuiſti in RATIONALI Iudicii TVI,
Doctrinam & veritatem.
Quæ ſemper ſint in pectore TVO,
& ita ingredere in conſpectu Dei Eccleſiæ & Poloniæ;
immortalis.

II. LAPIS
TOPAZIVS.

PArtim cæruleo, partim aureo inſignitus colore;
Symbolicè ſignificat animum cœleſtem,
omnibuſq; adverſis Superiorem.

Idem ad radios Solis impenſiùs incaleſcens, denotat viros bonos & cautos, qui in æſtu curarum, & periculorum, majorem heroicæ mentis ſplendorem, & calorem virtutis exhibet.

Sapientem dominari aſtris,
vetus oraculum eſt.
Vtcunq; aſſeverent Vraniæ Cultores,
ſuas etiam Planetis ineſſe malignitates;
Dixerint Saturnum nunquam terris propitium,
Martem & Mercurium raro:

Solem

Solem ipſum ab animalibus Zodiaci irrabiari, obſervaverint Ptolomæi;
Sapientem hæc ne tangunt quidem:
imò ſapiens noxæ à cælo avellit calumniam:
quod nobis ſuis aſtris lucet, ſuis orbibus gyratur;
ſuas influentias fundit.
Meteororum Monſtra, ſi orbem terrent, & quatiunt;
Cœlis non imputanda.
Ingrata hæc progenies utriq; Parenti.
ſolis beneficio in altum levatus humor;
in nubem abit:
Et illico ſoli lumen furatur, ſplendorem offuſcat.
E viſceribus matris telluris, tracta exhalatio;
in fulmina, & fulgura tranſit:
Gigantomachiam molitur;
Cœlis in beneficii ſui orbita manentibus.
Porro ſi illos tam veſana, ut ſublunaria fatigaret alteratio;
præter Athenienſis Legati hyperbolen, dudum ruiſſent.
Viris catis, & ad omnes eventus cautis,
eadem plerumq; ut Cælo injuria eſt.
Ab illo impenſum perpetuum terris beneficium;
ſæpe pro offenſa cenſetur.
Profaniſſimi mortalium, ſuis privatis commodis intenti;
ſive pluvium, ſive ſudum ſit cælum, ſemper incuſant.
Nec ſunt tot ſidera Polo;
quot optatores ab illo ſingulorum commodorum.
Sed quid auguſtus ſiderum ordo!
moremne gerit ſui blateronibus?
credant his apellæ;
Pluit ille, ſerenat, & occultè influit;
ut ſalva ſint, & integra ſublunaria.
Principes Viri,
In quorum Conſilii cardine Reſpublica volvitur.
Cœli genio ſe conformant;
TOPAZIUM imitantur.
Cœrulei ſunt, & quaſi ſubfuſci,
ſub cortina prudentis cautelæ conſilia tegentes,

 Mox

Mox aurei,
cùm faustior eventus;
Heroicos actus in apricum exponit.
TOPAZIUM hactenus portas,
ô PRINCEPS!
Inscrutabile videbatur animi TUI cælum,
& licet nunquam fulminibus horridum:
tamen formidabile.
Adurebant hanc gemmam RATIONALIS TVI,
tot curarum, & periculorum æstus.
Quid illa?
amisitne, vel saltem minuit innatum splendorem?
imò plùs solitò auxit.
Haustis tot splendoribus multi Phænicenses;
quibus sol Sarmaticus AUGUSTUS erat beneficus
Callidi non calidi,
orientem tantùm, & beneficia largientem adorabant.
Occidentem fortè plures optabant;
quasi benefacta ejus graves offensæ essent.
Quid TV ô PRINCEPS!
Omnibus adversis Superior ac TE Ipso Major;
etiam absentis solis radios impensiùs fovebas,
Ostendisti Reges, à DEO dari,
nec industriâ humanâ tolli;
& frustra cum fatis luctari.
Solemnis & illa TVA parænesis,
data Capitibus coronatis;
Non insolescendum esse victoriis;
quia Reges in ipsos imperium est Iovis.
Victores victos, vinctosq;, & Triumphatores in triumphum duci;
Orbi compertum est.
Applaude verax calame!
Pretiosior PRINCEPS, *super aurum & Topazion;*
diutissimè vota Poloniæ Coronet.

III.

III. LAPIS.
SMARAGDVS.

Qui maximè viret, ita; ut res alias coloret: Vnde Hæbraice vocatur Berekit, hoc est fulgurans.

Tropologicè significat innocentiam Mentis, puritatem animi, & Corporis, sinceritatem cordis.

MAgistratum, metam esse calumniantium;
non incassum protulit Cassiodorus.
Nemo est Principum, quem non gravis fama perstringat:
Infelix appendix virtutis, & gloriæ invidia;
hos aculeos vibrat in magnos Viros.
Livor tabificum malis venenum,
nonnisi summa petere consueverit.
Talis est nempe sors vitæ Principalis;
ut quantum admirantium, & applaudentium;
tantum invidentium numerum habeat.
Major enim pars hominum, injusta justis, potiora ducunt;
quorum cupiditates expleri nequeunt.
Sed contra hoc aconitum, quod est amuletum?
cum majore animo, honestatis fructus in conscientia,
quam in fama reponantur.
Vera & sapiens animi Magnitudo,
honestum illud, quod maximè natura sequitur;
in factis positum, non in gloria judicat.
Principem se esse malit, quàm videri.
Etenim, qui ex errore imperitæ multitudinis pendet;
hic in magnis viris non est habendus.
TIBI verò ô PRINCEPS!
Si tale monstrum, quod non credo, occurrerit,
quod subest asylum, quæ arma?
Solus SMARAGDUS RATIONALIS TUI,
Symbolum innnocentiæ, & animi puritatis.
Ad hunc lapidem si quis allisus fuerit, cadet.
Cum Arragonum Monarcha,
Tutus es; *quia innocentiâ comitatus incedis.*

Cum Tito jure dicere queas:
Nemo me injuriâ afficere poteſt;
quia nihil ago, quod alios lædere poſſit.
Experimento in TE diſcimus,
Firmiſſimam eſſe cuſtodiam,
ipſam innocentiam Principis.
Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum,
munimento non egere.
Divinum aliquid antiqui imputarunt innocentiæ.
TV ô PRINCEPS!
non humano modo inter tot adverſa triumphas.
Omnem Ariſtarchi virgulam,
omnem Catonis cenſuram effugis.
Ipſa innocentia triumphalis,
obturat os loquentium iniqua.
ô TE à Paulo delineatum exemplum bonorum operum
ô irreprehenſibilem ab omni Momo Archipræſulem!
Si vixiſſet hodie Apocalyptica Aquila,
TIBI inter Angelos Europæ ſcripſiſſet:
Angelo GNESNENSI ſcribe.
Angelo innocentiâ vitæ, puritate mentis & corporis,
ſinceritate cordis.
Auguſtiſſima Trias,
TE ſervet in ſeram annorum ſeriem,
Optime Maxime Pontifex
CLEMENS XI.
Genuinam nomine, & re complexus es Clementiam,
qui innocentiam STANISLAI,
poſuiſti in ſupremo Candelabro.
Nempe imitatione CHRISTI,
Talis Nobis opus ut eſſet Pontifex,
Sanctus, innocens, impollutus, &
á peccatoribus ſegregatus.

IV.

IV. LAPIS CARBUNCULUS.

Dictus carbo ignitus, cujus specimen refert, unde & ignem non sentit; significat ardentem in DEUM, & Commune bonum Charitatem.

VEnite Tulij!
antithera nova legite in Polonia:
Religio nunc primatum tenet in omnibus, & non tenet.
Pro illa, omnes etiam mori deberent,
& nemo, nè pilum quidem pro ea amisit.
Honor DEI præcipuus est in Ecclesiis, & non est.
Patria omnes Charitates complexa est, & nullam.
Omnes habet propugnatores, & nullum.
Omnes commune bonum tuentur,
& omnes rapiunt.
Plurimi pro legibus zelant, & contra leges.
Libertatis sunt assertores, & exterminatores:
Servi simul & liberi.
Ipsa Libertas apud nos virgo est, & non virgo:
Maximè dissoluta, & maximè mancipata.
Quid cunctamini in dissolvendo ænigmate?
res sole clarior est.
Eò ventum est, ut DEI causa, vel totaliter negligatur: vel ultimum locum sortiatur.
Majores nostri non avaritiâ, vel furore bellico;
sed zelo promovendæ fidei,
vicinas Gentes subjugârunt.
MIECISLAUS cæcus natus, oculatior per CHRISTUM fact⁹,
tot Episcopatus, tot Ecclesias CHRISTO,
ædificavit, dotavit, ditavitq;.
Hodie videntes, cæci tamen,
& MIECISLAI dona,
& CHRISTI Patrimonium;
pro prima præda habent.

D Cernen-

Cernentibus nobis, (cave dixeris,) annuentibus,
Immunitas Ecclesiarum violata;
Pulvinaria Divûm, sacra vasorum supellex,
sub hastam, & rapinam venit.
Tales nempè amicos quæsijmus;
qui non nobis tantùm, sed & DEO essent injurij.
In plurimis templis sacra silent,
& nos buccinamus, *omnia ab Ecclesiasticis absorpta:*
Nempè CHRISTUS ultimâ tunicâ,
ab utroq; milite spoliatus;
adhuc est opulentus:
inopia ipsi copiam fecit.
Quid tu ô Divinior Berecynthia!
Omnium nostrûm Mater Patria;
Ergo jam in Nioben es conversa!
Ah (inquit) & lacrymæ deficiunt,
& hæsit vox faucibus!
Vltimos traho Spiritus,
plusquàm noverca tractor, ab his privignis.
Omnes quærunt, quæ sua sunt, non mea:
& ipsi defensores, offensores facti;
intimos jam penetrarunt penetrales.
Ah nefanda singularitas, communis boni venenum!
At ô Diva!
Sociam Libertatem accersi.
Sed ubi prostas, ô Soror! ubi profuga hæres!
Vmbramne, an rem prospecto?
adhuc ne in vinculis es libera?
Præsto adsum, ô Mater dulcissima!
noli mærere, noli languere.
En ROSÆ SZEMBECIANÆ Salutares,
amoris indicia, & illicia,
cor recreabunt.
IPSÆ CAPELLÆ GENTILITIÆ,
pro Te ad victimam ire paratæ.
En quàm saliunt, ut pro salute Tua immolentur!
Adest

Adeſt PONTIFEX,
non unum, ſed plures HÆDOS,
ad veſperam calamitatis immolare paratus.
Placabitur Divina Nemeſis,
Cum Moyſes hic elevabit manus,
Et juge offeret ſacrificium Aaron.
Iam Nobis Serenior arriſit Apollo.
SZEMBECIANVS Genius,
Præcipuus priſci Moris exactor,
in id omnem congerit operam;
ut antiqua Majorum inſtituta, & jura inſtaurentur.
Fuerit ſanè hactenus, probroſa nocendi ratio,
quando pignus ſalutis,
vertebatur in materiam perditionis;
hodie ad Legum compagem, omnia reducuntur.
Excedite jam, & *dicite tria in Curia,*
turpiſſimi quæſtus, & nundinæ vocum liberarum.
Abi diſſoluta temeritas!
nec legibus, nec Regibus, nec Ordinibus,
imò nec Vicariæ DEI Poteſtati parcens.
Hactenus mille prætextibus ſubtiles laqueos nexuiſti,
aureæ libertati, effrænata Licentia;
Jam modo vaſa colliges anguſta.
Princeps Regum terræ,
Felicis ſeculi dabit revolutionem.
Sub AVGVSTO olim,
rite paludata inceſſit Regina Libertas;
Sub AVGVSTO in eſſedo triumphali redibit.
Præibit amor SZĒBECIUS;
cui nihil dulciùs, quàm ſe, ſuaq; impendere;
ut Patria ſervetur.
Superi tales nobis providete Heroas,
qui Cives, Patreſq; gerant.
Tales Primates, Primoſq; Principes,
qui in RATIONALI SVO CARBVNCVLOS præferant.
Semper ardentes, & nullos exoticos ignes perhorrentes.

D2 Ve

V. LAPIS
SAPHYRUS.

Qui cœlestini est coloris, & simul aureis punctis collucens, soli expositus ardentiùs fulget. Tropologicè significat viros, corpore quidem in terris, mente verò in cælis conversantes: adeoq; pro Publico, intuitu cæli nullam jacturam præsentium rerum metuentes, imò sponte eam subeuntes.

MAgna & inania de locustis minutiorũ entiũ jurgia,
huc transferte Philosophi.
Stupendam hominis Symmetriam spectate;
omnes illa absorbebit difficultates,
omnia ingenia fatigabit.
Exilis quidem hæc civitas,
Sed qualem nullus Dædalus fabricârit.
Stupendum ædificium,
quod angustijs suis tantum comprehendit habitatorem;
ut contentum sit majus continente.
Porrò mihi, cùm omnia hac in fabrica sint admiranda,
tum arx Civitatis in extasin rapit.
Nempe os homini sublime datum, & erectus ad sidera vultus.
Quid ita?
Ut ingens hospes animus,
ex specula ista, supernam Patriam prospectet;
Non totus hic habitet, Cœlo se inferre paret.
Nihil enim est inconvenientius, fœdiusvè,
quàm animum naturâ immortalem;
mortalia duntaxat curæ habere.
Cæterùm plurimi exilium istud fatale,
Patriæ præferunt.
Multis cœlum neglectui, cœnum primas curas eripit.
Cælum (ajunt) Cæli Domino, terram autem dedit Filijs hominum.
Imò plures sunt tam cæci Andabatæ;
ut nec æternæ, nec temporali Patriæ,
ac proinde nec sibi sint utiles.
Cùm tamen verissimè Romana enunciat Cyrrha:

Qui

Qui Patriam adjuverint, servaverint, auxerint;
ijs peculiarem locum esse in Cœlo.
Verùm assumite tandem oculos, talpæ!
Augustius Pantheon EXCELLENTISSIMÆ DOMÛS SZEMBECIÆ intrate.
Heroes, hoc est Semideos spectabitis.
Hos Religionis, & Cæli amor,
terris hærere non sinit.
Paradoxum existimatis?
utiq; non profanum probatis viris enunciatur oraculum:
Vos Dij estis & Filij Excelsi omnes.
Si igitur Filij; levare debent ad Patrem oculos in Cœlum:
& quæ sursum sunt sapere.
Porrò ad hanc conversationem cælestem, omnibus præit,
PRIMUS PRINCEPS:
etiam ad Cælum pro Patria,
LEGATUS NATUS.
Ita Ille Polo liber aperto,
suevit in æthereos ire meatus.
Primam post æternum Communis boni curam gerens,
cæterarum jacturam rerum, æquissimo fert animo.
Præter opes in opem pauperum erogatas,
pro servandis Ecclesijs impensas,
quæ commoditati Principalis Personæ servire debuerant;
Hostis rapuit, verna miles abligurijt.
Imò domestici Hominis inimici ejus,
addiderunt afflictionem afflicto.
Quid enim in tumultu belli Civilis speraveris?
nisi, ut luporum more, Civis Civem devoret;
nec Filius parcat Parenti.
Tandem extorres, videns in Patria Cives,
jam ipse quoq; exsors, tantisper furori concessit.
In proxima vicinia, ad fines Regni substitit,
furentis Pharsaliæ præstolaturus finem.
Patriam non deseruit,
sed illam in Persona sua, & benè sentientium servavit.
Quis enim tunc Poloniam, in Polonia reperiret?

 Egres-

Egressus est ab hac Filia Syon omnis decor,
imò illa à se ipsa egressa est.
In tanto nubilo, & fatali procella,
SAPHIRINUS semper,
hoc est cœlestis, ARCHIPRÆSULI color.
Admiratus est illum Sol exoticus,
in cujus conspectu fulgentiùs effulsit.
Hoc TUUM pretiosissimum RATIONALE,
ô PRINCEPS!
quòd Patriam TUAM ad cælum dirigens,
illius contemplatione, omnia sustineas.
Modò à TE reduce nihil postulat Polonia;
nisi, ut ipsa quoq; in pristinis legibus moribusq;,
sub Consule tanto, ad se redeat.

VI. LAPIS
JASPIS.

Gemma firmissima & virens, ideoq; Smaragdo subsimilis juxta Isidorum. Tropologicè significat firmitudinem Fidei Divinæ, humanæq;, robur utriusq; vitæ, & consiliorum salubrium inconcussum.

SI peritos, sincerosq;, inveniret æstimatores,
hic lapis, pretio omnes superaret.
Et Natura illi firma, & viror immutabilis.
Divino arcano, insertus RATIONALI PONTIFICIS;
ut inconcussam, invariatamq; fidem,
juxta ejus virtutem servandam, intelligerent populi.
Connectuntur Fidei Consilia,
quæ firma, solida, semperq; virentia;
ex labio Sacerdotis promebantur.
Hæc equidem non Delphicus Apollo,
sed DEVS, qui nec falli, nec fallere potest;
Legifer ipse, Legifero Surrogato ordinanda demandavit.
Hoc immensum pretium fidei,

inter

inter prima dona demandavit.
At hujus boni quales sumus æstimatores?
Certè si à Gadibus, usq; Auroram & Gangem,
pauci sunt qui dignoscere possint vera bona;
Fidei excellentiam plurimi, pro alga habent.
Corruptissimo & fatali ævo,
quo fraudum, tehnarumq;, ac nova scelerum ostenta prodiêre,
Liceat cum Romano Consule exclamare:
O tempora! ô mores!
Plebeium jam bonum credita est plerisq; fides.
Minores à Majoribus, hanc noxam, ut palmarem virtutem discût.
quam fallacissimus olim Græcorum edocuit:
Pueros (inquit) eludendos esse talis;
claros Viros jure jurando.
Trahitur ad hanc pseudomaximam,
& Senecæ integritas:
Equitem (inquit) bonum Virum, omnis decet color:
Ita est, ô versuti Synones!
sed non ille, quem temporarius fucus incruscat;
ast quem peritior Pharrasius, animus sincerus,
æternitati pinxit.
Ex omnibus celebrior habetur candidus,
quem unum, & solum chamæleontes non suscipiunt.
Sed ô fraudulenti Láertiadæ!
non cóalescent Thebæ,
nisi lapides fide Amphionis consaliant.
Hæc Divina harmonia, ad unionem vocat;
Civitates ædificat.
Nunquam ædem Concordiæ ingrediemini,
nisi priùs templum Fidei intraveritis.
Tale est Augustale,
ILLVSTR^ma & EXCELLENTISSIMA,
SZEMBECIORVM DOMVS.
Procul hinc Vertumni!
qui, ut placeant Pomonæ, omnem formam effingunt.

Fuêre OCTAVIANO AUGUSTO,
geminæ Imperij bases, & Fidei Sacraria,
Mecænas & Agrippa.
AVGVSTVS Noster Invictissimus,
Quot SZEMBECIOS,
tot Mecænates, Nactus est & Agryppas.
Hæc est magnæ felicitatis infelicitas;
ut cui se Conso credere valeat, ignoret.
Multi Bruti, Cæsares, ut DEOS adorant;
sed ut hominibus, imò ut brutis insidiantur.
(ô Vita fallax, abditos sensus geris!)
Plures similes heliotropijs,
Versis vultibus, serenum tantùm prospiciunt Phæbum.
Plurimi etiam benevolentiâ irritantur,
quibus cùm beneficeris, pejores fiunt.
Ingemuit Innocentissimus PRINCEPS,
contra se tot Sejanos;
Non occultos tantùm, sed apertos surrexisse.
ô Fidem infidam!
Beneficijs, & honoribus cumulati:
SACRAMENTO Majestati toties obstricti:
Sigillatim, & cumulatim, Apostatæ Politici facti,
perduelles fieri, hosti adhærere,
& ultimum honoris exterminium Regi, tentare non erubuerunt.
Elanguisset tunc PRINCEPS præ mærore;
Nisi ROSIS SZEMBECIIS, planè Regijs floribus fultus fuisset.
Quantum Fidei documentum, in sopiendis animorum motibus?
In æstu Civilium turbinum,
Quanta Constantia, & animi firmitudo!
In dandis sanis Consilijs!
quanta SZEMBECIORUM sinceritas!
Alios fermè omnes, vel aurum Sudermanicum,
vel ferrum minax distraxit;
nova in dies factio, aut odium avulsit.
TU ô PRINCEPS cum TUIS,
Rei-

Reipublicæ, Regi, Legibus, Libertati,
Marpesia Cautes, & grande firmamentum extitisti,
fata priùs TVA, quam istorum experturus.
Ergo diutissimè Sospes, & integer,
PHILIPPO Nostro Victoriosissimo,
Antipatrum age,
Ut in ROSEO TUO sinu,
publicis curis lassatus, tutò dormire valeat.
Ædepol, in tam sincera, fida, delicata culcitra,
continget illi somnium & res Scipionis.

VII. LAPIS.
LIGVRIVS.

Seu juxta D. Hieronymum ex Apocal: cap: 21. Hyacinthus; qui Iosepho Hæbræo, est miræ pulchritudinis gemma, quia fulget imagine cæli. Per illam tropologicè significatur mira affectuum harmonia, morum suavitas, perpetua animi malatia.

EXquo nos Lucina in Lucem effudit,
in arena collocamur,
priùs nobiscum, quàm alijs Compalæstritis luctaturi.
A teneris hanc luctam aggredimur;
quia livida Iuno concupiscentia,
etiam in Cunis Herculi submittit angues.
Qui nisi discerpantur,
in horrendam dein excrescunt Lærnam.
Quantus autem in edomanda illa labor?
non facile vel ipse Homerus descripserit.
Adstat., & urget septiceps monstrum,
non unum interitum:
Cui sive singula, sive omnia capita abscideris;
iterum repullulant, iterum intoxicant.
O Mundi Nemea! ô Erymanthia seculi!
quot Leones, quot apros foves!
quot Stymphalides circumvolitant!
quot æripedes tauri circumcursant mortales?

Quòd verò magis mirére;
in penetralibus corporis noſtri,
tam feræ belluæ ſtabulantur.
Exhorruit illas, ille exercitatiſſimus Athleta;
& quaſi ſtupens exclamavit, ad vitæ authorem;
Quare me poſuiſti contrarium tibi?
& factus ſum mihimetipſi gravis?
Quid igitur facto opus eſt?
cùm continua cum his monſtris pugna,
rara ſit victoria.
Alcidam cuiq; agendum eſt,
audendum eſt aliquid, ut aliquid eſſe velis.
Porro ſi hæc bella geri placuit, multos habitura triumphos,
in edomandis affectuum oſtentis,
habet ſuum Lechia Herculem:
CELSISSIMUM PRIMATEM SZEMBECIUM.
Ille Victoriarum ectypon eſto.
Eâ tempeſtate vivit hic Princeps,
ut inter tot occaſiones, & irritamenta affectuum,
inter debacchantium furores,
Millies ipſe ſuccumberet Tyrynthius Heros.
At ARCHIPRÆSUL NOSTER,
à teneris principes feras, Concupiſcibilem, & Iraſcibilem,
capiſtro confringens, ethico,
aſſiduos egit triumphos.
Hinc illi animus Cœlo cognatus,
nullis efferveſcentium affectuum fulminibus horridus;
Frons ſerena, & vultus Principalis,
nullum tetricantium nubium ſquallorem admittit.
Mentis pacatiſſimæ perpetuum ſudum,
& facies grata, torva viriliter,
pondusq; ſupercilij Magnificum & verecundum.
Forſan nemo vidit iratum, niſi iræ.
Mirabile hoc eſt in Principe,
cùm ſit encyclopædia ſcientiarum,
& tamen neſcit odiſſe.
Ergo nullum objectum, eſt illi odioſum?
Ita ſanè; niſi ipſum peccatum.

Cum

Cùm enim sit integer vitæ scelerisq; purus,
contra naturam esset innocentis animi,
aliquam noxam admisisse.
Ita ROSÆ non admittunt fætentes scarabæos;
CAPELLÆ SZEMBECIÆ,
quia Oleniæ sunt & Cœlestes,
Reginâ florum pascuntur;
ideo malè olere nequeunt.

VIII. LAPIS ACHATES.

Latinè dicitur sociabilis, & pacificus: quia multæ in eo figuræ, & colores associantur: Est sitis extinctor, cordis roborator, perpetuus veneni hostis. Hunc Aquila observatur importare nido suo, contra serpentes.

SI peritior Hypocrates, pulsum nostrum observaret,
ferè omnium corda intoxicata deprehenderet.
Privata compendia Civium,
Publicorum lethifera venena sunt.
Hinc quidquid communi bono detrahitur,
vel per incuriam, magis injuriam deperditur,
ut privatis Laribus inveniatur;
aconitum est, cicuta est.
Rarus est Socrates,
qui illam hodie non coactus, sed sponte non hauserit.
Hinc plures in furorem acti,
ruptis omnium Legum repagulis,
Ipsi sibi dissident.
Quasi jam hebescentibus sensibus,
Regem præ oculis habentes, alium quærunt.
Pestiferum hoc symptoma,
tanquam œstro perculit multorum cæca pectora,
ut nova signa levarint, & se Duces inauthoraverint.
Quasi verò nullus ipsis jam superfuerit hostis,

Patriam, & innocuos Cives,
ut gravissimos hostes adoriuntur.
Ita, quod luxus abligurijt privatus;
ex communi bono laceram & maceram fortunam;
sarciunt, & farciunt.
Deniq; cùm struere novam Babel nequierint;
factâ ingenti linguarum, & morum confusione:
abeunt in universum Orbem,
sed tantùm Polonum.
Injuriatores, injuriam ulciscuntur in Colonis,
quam in cordatioribus Polonis ulcisci nequeunt.
Superi tantam à Nobis avertite pestem!
Cordi igitur primò medendum est,
ut ad se redeat.
Applica illi TUUM ACHATEM,
ô PRINCEPS CELSISSIME!
Archiatrum TE hujus Regni,
DEUS Scientiarum Dominus providit,
Dexter ades portitor Lapidis,
Sociabilis & pacifici;
qui facit utraq; unum.
Proh dolor! quàm ingenti suo damno,
amisit hanc gemmam,
Polona Aquila!
quam contra venenatos foverat serpentes.
Scimus à TE accuratè servari,
hunc inæstimabilem unionem.
Ergo illum infer nido Regnatricis ALITIS;
ut ex unione, salus publica veniat;
Vnio animorum.
A dipsade morsi pleriq; Cives,
Siti perpetuâ torquentur;
adde non aquam, sed elixier ROSARUM;
ut ista febris restinguatur.
Efficis hoc ultra vota Nostra;

DEUS

DEUS, & Fortuna adſpirent labori:
Ut Magiſtratus iſte ſublimis,
ſit medicus Civitatis.

IX. LAPIS AMETHYSTVS.

Coloris purpurei, Roſei, & violacei: ſculpturâ eſt facilis, leviter flammulas fundit: luxui reſiſtit. Tropologicè juxta Cornelium à Lapide, animum modeſte de ſe ſentientem, & injuriarum patientem denotat.

SCribere in marmore læſos,
vetus paræmia eſt.
Verùm iſti characteres iræ, & Rhamnuſiæ Nemeſis,
malè excocti animi indicia ſunt.
Non eſt probroſior Luxuria,
quàm ita philauticum eſſe;
ut non ignoſcas.
Plures tamen inveneris, velut Cyrcæo poculo potos;
quibus philtrum amoris proprij, porcorum ingerit mores.
Hinc portentoſas ſomniantes præſumptiones,
Irâ & furore temulenti; Carthaginis votum contra Romanos,
etiam contra amicos ingeminant.
Sæpè injecta, vel juſtæ reprehenſionis feſtucâ,
apud delicatulos Smindyrides:
in grandem excreſcit trabem.
Sunt, qui naſo inſidentem muſcam,
elephantum putant.
Leves illis flammulæ,
etiam ab æquitatis foco, & dextra Scævolæ irrumpentes;
Trojani inſtar videntur incendij.
Pleriq; ipſam innocentiam,
ut grande crimen, Vatiniano odio perſequuntur.
Et ideò Catilinæ peſſimus Cicero;
quia Optimus Civitati.
Hic turbo, & TE exagitare conabatur,

ô PRINCEPS!
Nil inveniens in pectore niveo, censurâ dignum;
Ipsam Constantiam TUAM,
Legi, & Regi Legitimo adhærentem, incusabat Livor.
Heu quàm apud malevolos, improbatur probitas!
Quid ad hæc TVA Innocentia?
Elephantorum more callum obduxit.
Illud vatis, velut triumphale carmen occinit:
Mordear opprobrijs falsis, mutemq; colores;
Falsus honor nocet, & mendax infamia terret,
Quem? nisi mendosum & mendacem?
Solemne est ophtalmiâ laborantibus,
non posse lucem spectare.
Multi suo malo, dum in sole maculas quærunt;
pupillas amittunt, extingvunt lumine lumen.
TE ergo ô PRINCEPS!
justum & tenacem boni propositi virum,
non ardor Civium prava jubentium,
Sed Cœlestis lenitatis vigor, movit ad ignoscendum.
TUO exemplo, svasu & ducatu,
AVGVSTVS Noster
Serenissimus,
datâ universali amnestiâ inimicis,
Romanum Augustum, adæquavit, vel superavit.
Sic ROSÆ TVÆ leniverunt calorem offensarum.
De Paradyso decerptas crediderim,
quod aculeis careant.
Jo triumphe!
AVGVSTVS iterum solis more,
Omnibus exoritur, gratis, & ingratis.
Novus Iupiter Gigantes oppressurus,
Non fulminibus sauciat, sed gratijs satiat.
Porro & TUI FLORES ô PRINCEPS!
jam in sidera mutati, ponè suum solem sequuntur.

nil

nil nisi influentias benevolentiæ fundant.
Discite mortales exemplo Principum,
optimum esse vindictæ genus ignoscere;
sic parantur Augustis, ex inimicis, amici.

X. LAPIS CHRYSOLITVS.

Partim aurei, partim marini coloris; hinc Hæbraicè vocatur Charsis, id est marinus. Tropologicè significat pœnitentiam, seu dolorem super ruinam alicujus, præcipuè boni Publici.

AVreo olim seculo,
aurei Patres, aureos genuerant Filios.
Hodie aurei quidem, sed plumbeos gignunt natos.
Annulis, & Cymeliis, solenne erat CHRYSOLITOS inserere;
ut potè aurei coloris, & marini;
quia etiam maria tranare noverant.
Hodie novus Neptunus, & Istulam clausit;
nè liceat cuiquam Iasoni, & Typhi;
ad vellus aureum recuperandum,
salum, solumq; pertransire.
Fuit hic Argonautis labor,
ut arte Palladis fabricatam Argonavim,
in salo hærentem,
etiam humeris exportarent.
Quassatam non unius rabie Noti, fortunam Regni vehentem Navē,
vel primi deseruêre Navarchi.
Indoluerunt quidem Naufragio;
& jam vela dabant ventis, ut juvarent;
sed non secundis.
Acceſſit tandem dolor, & pœnitentia,
sed sine emendatione.
Omnes Cives ringebantur animis,
& tamen nemo vindicem gladium vibravit;
Nempe amicos nefas erat lædere.

Verùm quid de isto dolore cordatiores sentiunt?
id, quod de lacrymis Crocodyli.
Devorato homine luget Crocodylus,
hi tandem absumptis privatis bonis,
sentiunt exitium, & serò lugent.
Quia cùm objcerentur amantes Reipublicæ Danieles Leonibus,
in cachinnos solvebantur.
Verum est apud nos, illud Livij, & Senecæ;
Tantùm nimirùm ex Publicis malis sentiri,
quantùm ad privatas res pertinet.
Et quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam suam?
Cæteros jam novimus,
qui eò dementiæ processêre;
ut amissâ Republicâ,
piscinas, & casas suas, salvas sperare videantur.
Adeò non in Commune spectant;
sed suum quisq; diversi commodum focillantur.
At TUA Præcordia PRINCEPS CELSISSIME,
qui lancinat dolor?
TU Matrem apum imitatus,
aculeo quidem carens;
Stylo tamen amoris, omnes ad amorem boni Communis stimulâsti.
Tanto acumine sine punctura Triumphator,
omnes compunctos reddisti.
Vincula Charitatis TUÆ suavissima,
etiam liberos vinxerunt.
Novus Hercules apparuisti;
qui aureis Consilij catenis, sanè discolos, & distortos animos;
in triumphum amoris Publici duxisti.
TIBI igitur Polonia,
hactenus divisa, nunc unita:
Arrham, & aram amoris destinabit;
Nisi TU cum TUIS, non desistas,
Poloniam, Poloniæ restituere.

XI.

XI. LAPIS
ONYCHINVS ſeu ONYX.

Eſt varij coloris, ut Sardonyx & Chalcedonius; & quia vaſtæ interdum reperitur magnitudinis; ideo ad varios vitæ humanæ uſus & ornamenta applicatur.

OSores hominum Titmones,
non Athenæ ſolùm, ſed totus mundus meritò oderit.
Quæ eſt enim Veſania,
ſe ſibi ſoli naſci putare hominem?
ô partus abortivi, & monſtra!
Obtutum vertite in univerſam creaturam.
Quid commodi eſt cœlo,
perpetuis choreis, ſe incommodanti?
nonne ſublunarium perpetua conſervatio.
Solis, Lunæq; labores penſate,
nonne noſtro motui, & quieti allaborant?
Nunquam effæta Parens tellus,
tot fructibus prægnas;
Cui ſe æviternè eviſcerat, nonne viventibus?
Omnes Univerſi hypoſtaſes,
idem millenis vocibus clamant:
non ſibi illas eſſe, ſed communi uſui.
Quid ad hæc vos animæ ſingulares?
perpetuò alteri incommunicabiles.
Imò Ideæ Platonicæ,
neq; ſingulares, neq; univerſales.
Hic nempe uſus veſter eſt,
nulli uſui eſſe.
O inania pondera terræ!
Nubes vacuæ & ſteriles, à ventis circumlatæ!
Spectate SZEMBECIAM Proſapiam.
Lapidis ILLA ONYCHINI imitatur ingenium,
& colorem multiplicem, Patriam illuſtrantem;
& virtutem communi bono communicat,

A Summo Bono maximè sui diffusivo,
hanc communicatam virtutem hausit abundâtiùs HEROICA DOMUS;
ut in commune evisceretur.
Si quam nactus est Magnitudinem Illius ONYX;
In usus Ecclesiæ, & Patriæ, tota impenditur.
Sex tantùm visuntur columnulæ Onychinæ,
In Basilica Principum Apostolorum Romæ:
ONYX SZEMBECIUS,
Plurimas, & grandes, Ecclesiæ, & Patriæ;
in Polonia, efformatur in columnas.
Fulcitur his, & ornatur Lechiæ integritas;
Firmantur Regnantium throni.
Coronatum Virus Mythrydates,
Fors ad depellenda toxica;
duo millia Onychinorum poculorum,
in thesauro habuisse perhibetur.
In Polonia, quot SZEMBECII,
tot vasa electionis sunt, quæ omne respuunt virus.
Scimus grunisse, non unum cum remigibus Elphænora porcis,
dum Borealis Cyrce, scyphum propinâsset.
At PRINCIPIS Primi Genius,
cautiorem Ulyssen egit;
nec vas, nec os porrexit dulci veneno.
Omnes ventorum furias moverat Eolus Ille;
quibus Pergama Trojæ nostræ prostravit.
Stetêre tamen hactenus ONYCHINÆ,
SZEMBECIORUM Columnæ.
Confirmet hoc DEUS,
quod operatus est in eis in æternùm.

XII. LAPIS
BERYLLUS.

Qui instar aquæ, solis fulgore percussæ, rubicundus, & decorus est; sed non fulget, nisi in sexangulas formas poliatur;

reper-

repercussione enim angulorum, fulgur acuitur, tenentisq; manum adurere dicitur. Tropologicè significat animum Heroicum, adversis probatum, & si fractus illabatur orbis, impavidum ac immobilem, malis resistentem.

ATtolle augustas Portas,
Principis Basilicæ, Gnesna.
Novus animorum Triumphator,
Istud Capitolium ingreditur, Scipio Lechicus;
ROSIS coronatus, & alios coronaturus.
Abactis novis Senonibus,
qui nec Divis Tutelaribus pepercêre;
Statori Poloniæ ADALBERTO,
se, & sua venit litaturus.
Oniæ nostro apparuisse credideris,
hunc Ezechielem;
qui multùm orat pro populo DEI.
Jam heterodoxus Neptunus,
Spiritu paredrio inflatus, commotusq; nimis æstro superbiæ,
Omnia Tridente suo evertisset:
Nisi REMI triumphales PROTOMARTYRIS Lechici,
Cymbam Reipublicæ juvissent.
ROSA EJUS GENTILITIA,
Cynosura nobis hactenus est salutaris.
Sanguinis Purpura, in Polono polo tot seculis fulgens;
præsagit compositis fluctibus, Cras serenum.
Ita semper invisus Navigio Nostro Aquilo;
Dorida Sarmaticum temerè fatigans,
luit quoq; temeritatis suæ pœnas;
propriæ superbiæ fluctibus submersus.
Sic obliti conditionis humanæ Antiochi!
Major id vobis Dominus minatur;
Quidquid à vobis minor extimescit.
Depone squallorem sanctior Sponsa!
Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit.
Novam Chloridem Aprilis & Majus aperiunt.
Reginæ Florum ROSÆ & LILIA,

auguſtiùs refloreſcunt.
Primæ in Polonia Sedis,
PATRES CONSCRIPTI, totuſq; PURPUREUS SENATUS,
ibit obviam lætior, Patri Patriæ PRIMATI.
Dabit manibus LILIA plenis,
& addet aurum auro;
Vota totius Archidiœceſis coronaturus.
Eccleſiaſticæ immunitati defendendæ,
Si unus minùs ſuffecerat ARIES:
Tergeminus fortiùs tuebitur CAPRICORNVS.
Sic Diviniſſimus ADALBERTVS,
Inter nefaſta Patriæ triſtia, & ferales nænias,
In Vno SZEMBECIO,
Tot ſufficit GAUDENTIOS.
Hi Iacobtes lætitiam augent ſuæ Rebeccæ;
quia illis abundantiùs benedixit Sanctior Pater.
Nempe cum ille ſit omnia videns,
nequeunt oculi ejus caligare,
ad fideliſſimum Iſraël.
Porro huic Cœleſti Genitori,
non placet veſci de venatione,
rapacis, & violenti Eſau.
Ex duobus HÆDIS Optimis,
quos Iacob duxit de grege Paterno,
parata eſca libenter veſcitur.
Et quid miraris ab illo videri ſcalam?
Angelos deſcendentes, & aſcendentes,
& Dominum innixum Scalæ?
Solenne eſt SZEMBECIIS!
deſcendere per humilitatem,
& aſcendere per gradus virtutum ad honores.
ſic deſcendendo aſcendunt.
Lapſum ex tanto faſtigio nè timueris;
Dominus innititur ſcalæ, ut teneat,
& ſecuritati ſuorum Angelorum provideat.

Scili-

Scilicet non unum Lapidem,
SZEMBECIUS Jacob, posuit in titulum,
plures unxit oleo:
ideoq; & primogenita honorum meruit,
& tam augusto spectaculo beari.
Dignus & pulcherrimâ Dignitatum Rachele,
qui inter tot adversa, Heroicam gerit mentem.
Fugiebat somnus ab oculis ejus,
propter assiduas circa gregem Dominicum vigilias.
Accesserant tot Esauorum furores.
Qui tantùm nocuêre suæ Constantiæ,
quantùm fluctus allisi marinis rupibus.
Modô in fundamentum & ornamentum Ecclesiæ,
etiam BERYLLVM portat, locatq;.
Ut verò meliùs fulgeat;
In sex angulos expolitur.
Tres dabunt GENTILITIÆ ROSÆ,
Totidem LILIA Tergemina
Peraugusti Capituli Gnesnensis.
Imò quot Prælati, & Canonici,
tot sunt BERYLLI inæstimabiles,
in sole publico candidi & rubicundi.
ô ad fulciendam Ecclesiam, & Patriam Lapides angulares!
Quos Virtus, Prosapia & Sapientia,
Omnes & singulos pronunciat ANTISTITES.
Hos Suffraganeos Gloriæ TUÆ,
ô PRINCEPS CELSISSIME!
tales nactus es, ut illis inviscereris.
Non plùs ultrà Honoris TUI in Polonia,
plùs ultrà amoris erit.
TE redeunte, & ingrediente Archicathedram,
redit Spiritus in omnes artus Ordinum.
Ossa arida erant Sarmatæ,
Nolebant, vel non poterant, audire Verbum Domini;
TE Ezechiele Nostro exclamante,
consurgent in validissimum exercitum.

O cordiale efficaciſſimum ex ROSIS TVIS,
contra diram diſcordiæ peſtem!
ô Languenti ob fatalem oppreſſionem Palladi Noſtræ,
Medelam ſalutarem!
Ita Nos veritas, æquuſq; Iupiter amet,
ut ævum Illis interminabile peroptamus.
RATIONALE TUUM ARCHIPRÆSULEUM,
& totam fortunam Regni, ita portes,
ô PRINCEPS!
Ut Atlas Noſtri Cœli Audias.
Experimento Noſter, & exoticùs ediſcat Orbis,
Per TE TVAMQ; Proſapiam,
Poloniam Poloniæ reſtitui,
& lapſa omnia inſtaurari.
Vos verò olim malefidi Promethæi,
Caucaſo conſcientiæ alligati,
pro ſiniſtris vulturibus, auguſtiorem AQVILAM accipite.
Pro atroci pœna, peccantibus in Patrios Penates,
indulgentia declaratur.
In tot malorum Labirynthis, errantibus Theſeis,
Lechicæ Ariadnæ, DOMUS SZEMBECIÆ,
aureum Filum conſilij porrectum eſt:
ergo Cretenſes erga illam agemus?
Iſtine Agamemnones pro benefactis vinciendi?
Ita leges gratitudinis obloquuntur;
vinciendos eſſe cenſuerim,
vinculis æternæ charitatis.
Vel ipſe JOANNES PROCANCELLARIUS,
ſit in vinculis aureis,
quæ olim Octavianus Auguſtus Romano paraverat Senatori.
Redux ad ſe Patria,
Faſciculum Roſarum,
ponat, ut ſignaculum ſuper pectus ſuum.
Pateat tandem arcanum amoris ſub ROSA;
quomodo omnem fucum, abjecerint SZEMBECII,
Æneas olim Patrem ex incendio ſuſtulit;
Hi

Hi Matrem Patriam exportârunt.
Rapto à Pelaſgis Palladio,
omen infauſtū fuit Trojani excidij.
SZEMBECII Palladium Regni,
totumq; Cymeliarchon, cariùs vitâ cuſtodiunt:
ergo Iliacum infortunium non timendum.
Jo Triumphe!
Vivat SZEMBECIA DOMUS cum ſuo RRINCIPE,
DEO, Legi, Regi, in æternum.

PRETIOSUM
&
LEVE ONUS
AARONI SARMATICO IMPOSITUM.

Portabitq; Aaron nomina eorum coram Domino, ſuper utrumq; humerum, ob recordationem. Exodi cap: 28. ℣. 12.

COngere huc titulos fama!
Ordo Lapidum, maximorum Nominum petit ſeriem.
Duodenus utrorumq; numerus, mille poſcit elogia.
Extra ſtateram pene eorum pondus eſt,
ut etiam de ultimis finibus terræ, fruſtra addideris pretia.
Nulla hîc bilanx menſura Nominis eſt;
ubi capiendis SZEMBECIIS, impar orbis Sarmatiæ.
Ternis Illi ROSARUM ſphæris geſtiunt,
quarum ſingulis, implerent mundi circulum.
Ponè Primum Lechici Regni PRINCIPEM,
quot videris SZEMBECIOS, Principes dicas.
Primas omnes agunt,
etiam cùm Primatem ſequantur.

Sic Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
MICHAEL in Słupow SZEMBEK,
Dei gratiâ Episcopus Paphensis,
Suffraganeus & Decanus Cracoviensis,
Alter est post PRINCIPEM, & ipse virtute Princeps.
Meritis enim & gloriâ, proximè Fratrem comitatur.
Primis Paphiæ Infulis, caput cingens,
altius Pedum non admisit,
ne aliàs videretur crescere, cùm sit semper magnus.
Libentiùs meruisse singulas mitras duxit,
quàm tenere.
Atlantis LVBIENII alter Alcides;
Suffraganeus Cracoviensis, virtutum suffragium.
Decanus CAPITULI, Decus CORONARUM, Decas perfectionis.
Vis gloriam complecti verbo?
SZEMBECIUS est, MICHAEL est,
Cujus apparitio in Gargano magnorũ honorũ, brevi celebrabitur.
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
IOANNES à Słupow SZEMBEK,
Meritissimus Regni PROCANCELLARIUS,
Cæleste munus Patriæ, Gratia Divûm.
Patriæ Patrem appellares, nisi mallet verus dici Filius.
Perijt aliàs Patria, nisi hoc Nato donaretur.
Erogato enim in militem extraneum ære,
adhuc ditior est,
quòd tantùm Donum IOANNEM possideat.
Aureum IOANNIS os, aureum Caput,
totus eo titulo vocandus,
qui aurô esset pretiosior.
Poloniæ Poloniam, Patriam sibi,
Regi regnum, & Regno Regem,
nescis, restituit magis, an servavit?
Et debet suo Minister Principi, Princeps Ministro,
gratias pro gratijs, pro corde pectus;
quid debeat Patria? se totam.

A IO-

A IOANNE enim ſic illius dependebat indemnitas;
ut ſine hoc Nomine, nulla eſſet integritas.
Fecit Supremi Numinis favor,
quòd medio ſervemur in turbine;
ingenium SZEMBECII, quod taliter ſervemur.
Nam ita totus Regis Miniſter, totus Patriæ audit,
ut Eum ſibi ipſi vix vivere dicas.
Darent Superi!
ſi ſuis annis ſuperaret ſecula.
At nimis injurius meritis es,
ſi ſola tantùm ſecula voves:
IOANNEM enim optaret eſſe immortalem Polonia,
ut dicatur deſuper: ſic *Eum volo manere.*
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus,
LVDOVICVS in Słupow SZEMBEK,
Secretarius Regni Major, Canonicus Crac: &c.
Primus arcana Regni, & in corde & ſub ROSA recondidit.
Meruit Infulas, ſed adhuc fugit;
capeſſiturus brevi, cùm fugere non poterit.
Cracovienſis interim, & Varmienſis Canonicus,
Canon Virtutis, integritatis medulla.
Honores ab illis exorſus eſt Cathedris,
in quibus nullus Præſul non Princeps,
nullus Canonicus, non Principe dignus.
Ex his Epiſcoporum ſeminarijs,
ſumunt Auſpicia Cathedræ,
quòd Pontificiæ vittæ, has ambiant ROSAS.
Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus,
FRANCISCVS in Słupow SZEMBEK,
Regni Dapifer, Gubernator Becenſis,
Maxima Polonæ felicitatis Portio eſt.
Arriſit enim palato, ſingularior Patriæ ſors,
boni publici commodo,
optatiſſimas menſas inſtruente SZEMBECIO.
Nemo Exterorum has vidit ROSAS,
qui eas non invidit Poloniæ.

Nemo

Nemo ſuorum, ſic avidè non inſpexit,
ut ſenſum, & voluptatem animi temperaret.
Summis Principibus, Regibus, Imperatoribus,
qualiter ſapiant? in comperto eſt.
Si Herculem Lechicum AVGVSTVM credideris;
omnino Theſeus, hic SZEMBECIVS eſt.
Digniorem tantus Macedo,
nanciſci non poterat Epheſtionem.
Qui cùm ROSAS, & obſequia obtulerit,
immortalia opera nullo ſuffundet rubore.
Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus,
CHRISTOPHORus in Slupow SZEMBEK,
Canonicus Cracovienſis &c.
De Superis, Eccleſia, Patria, Rege, merituris,
Regula eſto, *& forma Gregis ex animo.*
Didicit namq; ſub externo Phæbo,
qualiter lucere debuit ad Principes ſoles;
Sereniſſimæ Majeſtati, & Orbi Lecheo,
nativæ virtutis ſplendores apricaturus.
Docuit evidentiùs, non ipſa tantùm heliotropia,
Hyperionem ſequi,
ROSAS quoq; ſuas, ſerenitati Regiæ obverſari.
Nullus ejus paſſus non de merito in meritum,
utinam nullus fiat, non in majores curules.
Illuſtris & Magnificus Dominus,
ALEXANDER in Slupow SZEMBEK,
Capitaneus Radomſcenſis,
agmen tantorum Nominum clauderet,
ſi vel toto Orbe capi poſſent SZEMBECII.
Vltra Thulen & Abilen, Nomen ALEXANDRI patet.
Gerit hoc Ethymon, & jam Magnus eſt;
Conſultiùs diceretur Maximus.
Luſtravit Italiam, peragravit Gallias,
Nullum Ei Regnum, non Macedonia erat,
id eſt ALEXANDRVM non capiens.

Plenus

Plenus meritorum in Regem & Patriam;
ut gloriam limitibus Poloniæ minimè circumscribat.
Perillustris & Reverendissimus Dominus,
FRANCISCVS in Słupow SZEMBEK,
Canonicus Cracoviensis &c.
pietate de Cælo meritissimus.
Talem vidit Roma, & præmiavit;
spondet majora, crescentibus annis.
Non erit in Ejus virtutes sic impius honos,
ut florum Reginam ROSAM, non adoret.
Tota hic se explicat pietas, tota Pallas,
adeoq; inclinabit Cælos,
ut sub suo influxu magis floreant ROSÆ.
Illustris & Magnificus Dominus,
STANISLAVS in Słupow SZEMBEK,
Castellanides Voynicensis,
Maximi Senatoris Filius, virtutum Heres.
Adhuc ille sub Palladis ægyde militat,
futurus brevi animorum Triumphator.
Adhuc excutit literarios pulveres;
ut assumat Paternam purpuram mundiorem.
Placet prius de eruditis mereri Camænis,
antequam de Patria mereatur.
Hic primum agmen SZEMBECII Nominis claudit,
verùm non gloriæ, nec meritorum.
Vltra enim hos, alteram calamus ducit Lineam,
quæ sine termino rectefactorum est.
Ampliùs utiq; hìc merita patent;
& adhuc SZEMBECIA virtus in medio est.
Acu rem tanges,
in Illustrissimo & Excellentissimo Domino,
FRANCISCO de Słupow SZEMBEK,
Castellano Visliciensi &c.
Nacta honorem in hoc Viro Purpura,
& pene erubuit ad suum ingenium.

Omnia enim immortalitate, ita facit dignissima,
ut & Purpura gaudeat;
quòd à SZEMBECIIS ROSIS, suum decorem mutuetur.
Novit Illum annis gravem Polonia,
sed suspicit magis, omnibus absolutum numeris
SENATOREM.
Sumit calamum?
Firmiorem Patriæ supponit Scipionem,
Et abigit calamitatem.
Fundit consilia?
talia nec Consus conciperet:
Coronent tantum Caput superi!
& tergeminis ROSIS,
non falces lethi, sed secures honorum admoveant.
Non recessit ab hoc meritorum passu,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
CHRISTOPHORUS de Słupow SZEMBEK,
Archidiaconus & Officialis Pomeraniæ.
Cujus si spectes justitiam, Aristides,
si probitatis vestigia, omnium Canon est.
Summa in Eo virtutum, honorum fuga.
Supra alios eminere nolle, maximum velle est.
Sæpius plures sprevit Infulas,
omnium meritissimus;
ratus, maximum fore coronamentum Capitis,
continuis boni publici curis mentem premi.
Solem dixeris continuo motu,
& clarissimis splendere virtutibus;
& nihil in publico non optimum producere.
Vtinam tam Illustrissimus Phæbus,
Eclypticam decurrat seculorum & gratiarum.
Illustris & Magnificus Dominus,
ANTONIVS de Słupow SZEMBEK,
Tribunus Oswiecimensis, Vicepalatinus Crac:
in

in utroq; Ducatu Nobilitatis facile Princeps.
Circumstant Virum hunc omnium affectus,
svavijs eloquij, & nectare sinceritatis illecti.
Tam comis est in comitijs,
ut in numerosissima oræ Ducalis caterva,
non aliud caput optet Nobilitas, quàm SZEMBECIVM.
Felix Oswiecimensium Corona,
quòd in Coronamentum sui has nacta sit ROSAS.
Pæstanis enim præstantiores floribus,
Lechicis campis, & virorem & vigorem restituunt.
De ROSIS dixi: ANTONIVM intellige.
Dicit ille, & ROSAS fundit,
vel verba ROSIS simillima nectit.
Utinam ex his ROSARUM sphœris,
altiores purpuras evolvat SZEMBECIO Cælum.

Illustris & Magnificus Dominus,

PETRVS à Słupow SZEMBEK,
Burgrabius Cracoviensis.
Peragratis exterorum Regnis, domi Curius.
Quam Patriæ & Domui invexit gloriam,
non servat tantùm, sed & auget.
Brevi hæc Petra offendet honores,
seu ipse ultro in Petram incidet honos.
Respondebit tanto Nomini omen,
quòd vel initia honorum,
à Vaveli rupe inchoavit.
Et hæc sunt SZEMBECIORUM nomina,
RATIONALIS Lapidibus respondentia.
Sunt & alia, quæ in diphtera æternitatis,
Summus PONTIFEX CHRISTUS bajulat.
In memoria æterna erunt Iusti;
ideo, nè vel cramben repetat calamus,
vel injuriam faciat, immortalibus meritis,
à temporalibus abstinet elogijs.
Curules eorum, & Publici boni curas,

L vel

vel in ſolis, FRANCISCO Parente, PRÆCLAO FILIO,
Magnis Senatoribus;
Cæleſtis Magnificentia elevavit, & coronavit.
Adhuc *Filij Tui & Filiæ de latere ſurgunt:*
ô Pantheon virtutum, SZEMBECIA DOMUS!
Novit Poſnania & Vladislavia,
FRANCISCI Canonici ſui adoreas.
Gnomon hic virtutum, & amiſſis,
eruditionis penu inexhauſtum;
vel exinde non uno dignus Hyperide,
quòd ſub ROSA laudes ſuas teneri cupiat.
VOS verò LVCERNÆ ardentes & Lucentes,
Franciſcanis, Elianis, Ignatianis ignibus,
modiumne cenſetis umbras Veſtras Religioſas?
At illuſtres hæ umbræ, magis VOS produnt.
Ita nempe VOBIS latere contingit, ut ſoli:
Major ab his nubibus Lucis repercuſſio,
auget utriuſq; gloriæ jubar.
Sic & VALERIANUS latendo non valet latere,
& JOSEPHUS, decreſcendo accreſcit,
& Filius Prophetarum licet nomen mutaverit;
Virtutem tamen SZEMBECIAM retinet.
VOS Sacratiores omnis ferè Religionis Parthenones,
Horti Eden Concluſi;
Quot ſanctiores veſtales SZEMBECIAS ſuſcepiſtis,
tot Centifolia ROSARVM AGNO Immaculato implantâſtis.
Nomenclaturam Veſtram habet Liber vitæ,
in quo Digitus DEI connotat:
Vbi inſcripti nomina Regum naſcuntur Flores.
Matrem Regis Regum Virginem,
immaculato, & ROSEO incorruptionis calle ſequimini,
ergo adducantur Regi Virgines poſt eam.
Porro Vos parvi SZEMBECII Quirites,
Heroici Sanguinis gemmæ, germina virtutum;
Hoc agite, huc contendite,
ut rapiatur ad ſimilitudinem ſui excellens natura.
In

In athletica virtutis, & eruditionis,
sic currite; ut comprehendatis,
Exempla domesticæ integritatis, & honores.
Hoc est sine pondere pondus,
Tuis incumbens humeris, ô PRINCEPS!
TU PRIMAS & PRIMUS Atlas hujus Olympi;
sed sunt & plures, huic Cælo mansiones.
Ascendisti in augem *sicut Luna perfecta*,
& Testis in Cælo *nostro fidelis*:
Ergo TE circumdant tot Familiarum sidera.
Ordinem Illarum non texit calamus,
ne paritatis juri sit injurius.
Prima tamen nunc Honoris TVI assistrix,
TARNOVIORUM ILLUSTRISSIMA PROSAPIA,
ROSIS Tuis colligata;
non aculeos auxit, sed decores.
Vel Ipse Illustrissimus D. MICHAEL STANISLAVS
TARNOWSKI,
Castellanus Siradiensis, Aulæ Tuæ Mareschallus,
non Mercurii Caduceum, sed Scipionem præfert.
Imò Ipse Scipiones Romanos supergressus,
Totum Familiæ suæ meritorum depositum,
CELSISSIMÆ DOMVI TVÆ importat.
MICHAELIS nomen, & rem geret,
Stabit cum STANISLAO,
& vibrato contra impios gladio, zelabit:
Quis ut DEVS!
Sed admittimus plures in axe poli Polonici
VRSAS,
quarum singulæ Majores sunt,
in DEBINSCIORUM, GROTHORUMQ;
Prosapijs.
Quæ, quò TIBI magis conjunctæ sunt,
eò Horizonti nostro magis lucent, & favent.
In hoc enim ILLUSTRISSIMARUM FAMILIARUM Cælo,

TU Primum mobile es, ô PRINCEPS!
ad Cujus influxum, & motum,
reliqua promoveri astra necessum est.
A sideribus Magneticâ vi omnia trahi,
vetus Sophorum dogma est.
Trahis ô PRINCEPS! TUIS ROSIS in sidera versis,
RUPNIESCIORUM DRUZYNAM,
qui ad TVI Sanguinis refertur Propontidem.
Grati TIBI sunt PRZYIEMSCII,
ut potè TUI amore, ore, re.
Complecteris LESZCZYNIOS,
Scilicet Horto ROSARUM opportunos.
IAGNIATKOSCII, tanquam agnelli currunt ad ROSAS.
Pro meta gloriæ DOMUS TUA,
est ODROWAZIÆ SAGITTÆ,
ex cuius impetu ad stadium vitæ,
& studium virtutum prodiisti.
Irrigat ROSETVM & LVBOMIERSCIVS SRZENIAWA,
ut ex gurgite suo Gemmas, Gemmis addat.
WIELOPOLSCIANUS SONIPES,
per Campum ROSEVM gloriosum decurrit iter.
Nimirùm dulce illi est cum CAPELLIS,
ROSEIS Cibis vesci.
Ascia TARŁORUM, & MORSCIORUM,
æternæ gloriæ Architecta,
Hortum TVVM Conclusum facit,
nè profanis pateat manibus.
CZARNIECCIORUM ARGONAVIS,
non Phryxæum vellus, sed inæstimabile virtutum pretium,
ROSIS Tuis consignat.
MAŁACHOVIORVM FASCIA,
jam dudum TIBI Fasces æviternæ gloriæ colligavit.
OPOCIA Virtus, velut Marpesia cautes,
mutuum affectuum, & meritorum immortalium,
unà cùm PRVSZYNIIS, CZERNIIS, KOBIELSCIIS,
RO-

ROMERIIS, NIELEPCIIS, & aliis Sexcentis,
Primatiali Honori, firmat Decus & tutamen.
At horum duntaxat nomina, haud ſufficit portare,
ô PRINCEPS!
Gravius TIBI incumbit onus,
totius Regni cura, profectò Ætnâ gravior.
O quot illa Encelados preſſit, vel oppreſſit.
Collapſa Eccleſiarum immunitas,
clamat mæſto ejulatu, ut reſtauretur.
Conculcatæ Leges lugent, ut ſubleventur.
Libertas ab exotico Gradivo, imò & ſuo mancipata,
Ligatas palmas attollit, ut emancipetur.
Patrimonium CHRISTI, Dos Eccleſiæ,
profaniſſimis militum manibus, in primam prædam verſa
ſupplicat; ut CRVCE TVA CONSTANTINVM agas.
Sub TE pientiſſimo ARCHIPRÆSULE,
deſinat tandem impia Martis pietas,
in tot oppidis, & pagis Xenodochia fundare:
ex Civibus, & Colonis, mendicos facere.
Ultima tandem, TUAM exoſculatur fimbriam,
Jagellonica Pallas,
Sed dubium, an illam cognoveris, ô PRINCEPS!
Mutatus eſt enim color auri optimus, in SCEPTRIS.
Hæc Regum Regniq; pupilla,
Heu quantùm in ſuis juribus læſa!
Defendêre olim Ioves ſuam Minervam;
nunc illam in commune ſpolium produnt:
Filia Regum, tractatur ut ſerva.
Minervalia Doctorum, ceſſerunt in ſtipendia militum.
Dilapſa Juventus, ſeges Patriæ;
eò quòd fruges conſumere nati raptores,
ut vaſtæ Charybdes, omnia abliguriant.
Verè nunc Ariſtoteles cogitur ire pedes,
Sed nec Iuſtinianus, ſuum habet honorem;
nec Galenus opes.
Ipſe Apollo ſtipem petit, & Faunum agit,

M in

in Heliconis deserto.
Hæc malorum Ilias,
Regni Scholæ, violatis privilegijs, evenit.
Ad TE ergo Patrem, & Tutorem suum,
Pupillæ confugiunt Musæ;
ut asylum inveniant.
TIBI se ruinæ nostræ inclinant;
ut feliciores assurgant.
Demum omnium Statuum vulnerata integritas,
plorat, ut de efficaci amuleto provideas.
Tota quâ latè patet Patria,
inter funestissima rudera, pullata jacens,
languentem porrigit dextram, ut illam erigas.
Ad extremum omnium nostrum nomina,
& onera ærumnarum portabis,
Sarmatice Aaron.
Supremus Regnorum Stator,
Princeps Regum terræ,
PRINCIPI nostro Atlanticas vires,
& mille assistrices addat Intelligentias.
Doctrina & Veritas,
quæ in RATIONALI TUO præfulgent,
Sint Universi nostri columnæ,
Auctoramenta pristinæ felicitatis.
Lapides Duodeni,
cedant in reparationem ruinarum;
Ornamentum, & fulcimentum,
Ecclesiæ, & Patriæ.

